

Contra vero, ut recte habet Busembaum, *qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo votum revalidatur*. Vide *Sa* (v. *Irritatio voti*) (29).

— Ratio vero est, quia per irritationem votum extinguitur. Ut extinctum autem reviviscat, nihil confert poenitentia Superioris, qui irritavit, sed requiritur subdit voluntas, qui se iterum voto obliget.

### §. II. De dispensatione votorum.

Dispensatio voti est absoluta eius condonatio nomine Dei a Superiore legitimo facta.

**332. Principia.** — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi

*ceptum... Tandem qui sentit onera Religionis, sine peccato potest frui commodis illius. Ergo qui se subiecit potestati Superioris, ut ab illo onera recipiat, non peccat procurando licitus mediis aliquid levamen per eiusdem potestatem. Sicut ergo non peccat Praelatus irritando, ita nec subditus pectendo.*

Si vero nulla rationabilis adsit causa, communis est sententia subditum non eare peccato. Sed probabilius levis habenda est culpa (*Vid. S. Alphons. lib. 3. n. 239.*), et rationes inspice apud Suarez l. c. cap. 4. n. 22., ubi agit de marito vota uxoris irritante.

Ex praeiactis autem principiis (nempe 1<sup>o</sup> de potestate viri directe irritandi vota uxoris, 2<sup>o</sup> de potestate uxoris indirecte irritandi vota mariti, 3<sup>o</sup> de potestate irritandi vota etiam a se approbata seu ratihabita) facile concluditur posse coniuges etiam continentiae votum mutuo consensu emissum invicem irritare. Nam 1<sup>o</sup> nihil vetat, quominus uxor petat a viro irritationem voti a se emissi, idque vir praestet; 2<sup>o</sup> nihil item prohibet, quominus uxor voto soluta indirecte votum mariti irriteret; 3<sup>o</sup> nihil demum impedit, quominus ambo voto soluti ius in alterius corpus, cui cesserant invicem ex pacto, rursus invicem sibi restituant. Et hinc patet, cur S. Alphonsus (*lib. 3. n. 239.*) dixerit, se certam rationem non invenire, cur hanc sententiam damnet, licet oppositae seu communiori adhaeserit. Verum cum ple-

rique ex hisce Auctoribus in illam opinionem venerint ducti principiis, quae ne S. Alphonsus quidem admittit, patet externam hanc auctoritatem obstare non posse quominus praemissam sententiam quis tuto sequatur.

(29) In textu Busembaum apud S. Alphonsum (*lib. 3. n. 236.*) non legitur *Vid. Sa*, sed, *ut vult Sa*; quod insinuat, Emmanuel *Sa* sensisse cum paucis illis, quos Salmantenses a S. Alphonso allegati, stare contra doctrinam in textu expressam dicunt. At non ita se res habet. Nam *Sa* (l. c. n. 4.) ita docet: *Irritans votum, si postea consentiat, non ideo revalidat*. Et rursus: [(n. 3.): *Votum impuberis de faciendo aliquid tempore libertatis semel irritatum, non reviscitur*.

S. Alphonsus verbis Busembaum (l. c.) subiicit: *Sic Salmantenses cap. 3. n. 70. cum Soto etc. contra aliquos. At Salmantenses habent hoc loco aliquid prorsus singulare. Hanc assertionem (aiunt) statuimus contra aliquos qui quoad hoc discrimen ponunt inter vota, quae a patre vel Praelato irritantur, et ea, quae a marito respectu uxoris, vel a domino respectu servi*. Porro doctrinam de potestate domini respectu servi, prout eam Salmantenses tradunt (*ibid. n. 62.*), quasi nempe vota *servi puberis directe irritare possit, nemo adhuc admisit*. Quocirca perperam (*ibid. n. 70.*) pro se Sanchezum allegant aliosque, qui non de *servi*, sed utique de *uxoris* votis id docent.

in votis, sicut et in iuramentis. Constat ex verbis Christi, *Matth. 16. 19.*: *Quodcumque solveris, etc.*; — et ex praxi constanti Ecclesiae. — *Communis.*

II. Soli Praelati, quibus iurisdictio in foro externo data est (30), a votis dispensare possunt, quia haec potestas pertinet ad externam Ecclesiae gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia (31), Episcopi autem vel Praelati regulares pro subditis tantum (32) respectivis, et solum in votis Papae non reservatis. — *S. Lig. n. 236.*

III. Ad validitatem dispensationis semper iusta causa requiritur, quia cum vota soli Dei fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tanquam delegatus: sed delegatus nequit dispensare valide sine iusta causa, ut de legibus dictum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 230.*

**333. Quaesita.** — QUAER. 1<sup>o</sup> *Quaenam sint iustae causae huius dispensationis?*

Resp. Bonum Ecclesiae, societatis, familiae, et eius etiam qui voto obstrictus est, v. gr. si scrupulis, vel gravibus temptationibus, voti causa,

(30) Intellige, *iure proprio et ordinario*, nam alii quoque, licet nulla polleant in foro externo iurisdictione, *ex privilegio* hanc potestatem habent, ut v. gr. *Regulares Mendicantes*.

(31) Etiam a votis solemnibus. *Vid. S. Alphons. lib. 3. n. 236.*

(32) Potestne Episcopus in votis dispensare etiam cum peregrinis? S. Alphonsus (*lib. 3. n. 158.*) quatuor promitt sententias. Cuius dissensionis ratio esse videtur, 1<sup>o</sup> quod DD. non consentiant, an peregrinus fiat subditus; 2<sup>o</sup> et rursus dissentiant, unde nam repetenda sit potestas aliqua ad dispensandum cum peregrinis: cui dissensioni aliud accedit incommodum allegationum scilicet, quas abs re congregas etiam apud S. Alphonsum reperire est.

Caeterum quatuor illae sententiae facile ad duas reducuntur. Nam prima absolute hanc facultatem Episcopis tribuit; tres reliquae in eo convenient, ut negent, nisi peregrinus subditus fiat per domicilium aut quasi domicilium, idest nisi peregrinus desinat esse peregrinus. Primam, ut in anibus rationibus, defendit Pontius, cui perperam adiungitur Tanner: alteram ple-

rique omnes; e quibus tamen Suarez (*De Relig. Tr. 6. lib. 6. cap. 11. n. 11.*) censet, posse Episcopum, gravi urgente necessitate spirituali, sin minus dispensare, saltem suspendere voti obligationem ad dies aliquot, quoisque peregrinis a proprio iudice consuli queat.

De quibus duo occurunt notanda.  
1<sup>o</sup> Cum Regulares ex privilegio speciali dispensare possint in votis ac iuramentis illorum, quorum excipere possunt confessiones, ideo ubi opus sit, ad ipsos tuto recurri etiam a peregrinis posset. Ita ex communis sententia etiam Barbosa (*De Offic. Episc. part. 2. alleg. 36. n. 15.*), 2<sup>o</sup> Nihil certi et solidi de eiusmodi questionibus concludi unquam poterit, nisi inquiratur diligentius utrum et quoisque iurisdictio aliqua exerceri possit in eos, qui subdit non sunt, atque adeo circa quos nulla inest ordinaria potestas. Qua de re mirum sane, quantum theologi quidam, recentiores praesertim, a trita veterum via aberrantes, totam hanc materiam inestricabilibus nodis implicaverint. Sed haec commodius *ad Tractatum de Poenitentia* ubi de potestate absolvendi peregrinos, reservantur.

opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur, si actus votandi non fuit perfecte deliberatus (33), etc... — S. Lig. n. 252.

QUAER. 2º *An Superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirm., si votum non fuerit acceptatum a proximo. Secus Neg. quia tunc intercedit obligatio contractus. — S. Lig. n. 254. (34).

QUAER. 3º *Quaenam sint vota Papae reservata?*

Resp. Praeter vota emissa in Communitate religiosa, Papae reservantur 1º votum castitatis perfectae et perpetuae, non vero votum virginitatis tantum (35); 2º votum ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam: 3º votum peregrinationis Hierosolymitanae ad sepulchrum Christi; 4º votum

(33) De hac re ita S. Alphonsus (lib. 3. n. 253.): *Etiamsi absit periculum transgressionis et magna difficultas in executione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate...* Ob hanc rationem vota impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione... Idem dicendum est, si votum sit emissum ob metum levem incussum ab extrinseco... Idem, quando imperfecta deliberatio aut libertas in votando processit ex tristitia, sive ira, sive metu intrinseco naufragi mortis, vel alterius mali, quia tunc immature vota fieri solent, et ideo possunt dispensari sine commutatione. Si autem constaret, tunc maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio.

Ad quaestionem, autem quam movet S. Alphons. (l. c. n. 251.). *An valeat dispensatio, sit bona fide credatur adesse iustum causam, quae revera non adsit,* responde distinguendo iuxta ea, quae in Tract. de Legibus traduntur: scilicet valebit, si error contigit circa sufficientiam cause, quae re ipsa aliqualis adsit; non valebit, si error sit circa existentiam alicuius cause, quando nulla existat.

(34) Hoc intellige, si promissio solum

aut potissimum in favorem tertii facta fuerit. Nam si promissio sit *gratuita*, et votum principaliter fiat in honorem Dei, ex probabili plurium sententia (apud S. Alphons. (lib. 3. n. 255.) etiam sine consensu tertii, qui illud acceptaverit, commutari aut dispensari posset. Ratio est, quia (ut ait S. Alphons.) promissio quamvis fiat personae particulari, fit tamen propter Deum. Deus igitur est tota promissionis causa, et per accidens se habet quod acceptata sit ab illo tertio, qui, si quid iuris acquisivit, non acquisivit tamen nisi dependenter a benefacito Dei, cui servanda promissio est.

Dixi, si promissio sit *gratuita*; si enim sit onerosa, cuiusmodi est, v. gr. votum perseverantiae in quibusdam Regularium Congregationibus, quae votum acceptando se invicem ad tirones sustentandos, instruendos, et non dimittendos sine iusta causa obligant, hoc sine consensu eorum quorum interest, nec commutari nec dispensari potest, prout sanxit etiam Benedictus XIV. Const. *Convocatis*, 25. Nov. 1749. §. 32., et Const. *Inter praeteritos*, 3. Dec. 1749. §. 66.

(35) Nimurum si intelligatur mera carnis integritas; secus, si abstinentia ab omni actu venereo et omni etiam actu interno contra eandem virtutem, uti communius fideles eiusmodi votum accipere consuecent.

peregrinationis Romanae ad limina Apostolorum; 5º votum peregrinationis Compostellanae ad S. Iacobum. Haec autem non sunt reservata, nisi sint absoluta, determinata, perfecta ratione materiae et libertatis. Hinc non sunt reservata vota disiunctiva, poenalia, conditionata, etiam *probabilius* adimpleta conditione; quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto ad rem promissam affectu. — S. Lig. n. 258. (36).

QUAER. 4º *An Episcopus possit dispensare coniugem a voto castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emiso, in ordine ad debitum petendum?*

Resp. Affirm., iuxta sententiam communem, contra nonnullos; quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus coniugalis impedit. — S. Lig. n. 258., et lib. 6. n. 986. 987. (37). — V. *Casus*, n. 332. et seq.

### §. III. *De commutatione votorum.*

334. — Commutatio voti est substitutio alicuius operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet in bonum melius, in aequale, in minus.

**Principia.** — I. Quicumque habet potestatem etiam simpliciter delegatam dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vicissim, quia maior potestas in minore non continetur, — S. Lig. n. 246.

II. Quisque potest privata auctoritate, et sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius, modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit, quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, cum perfectum in perfectioni includatur. Constat insuper ex Iure can. c. 3. de *Iure iurando*. Melius autem censetur, quod ad maiorem utilitatem spiritualem voventis, ac maius Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papae reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum. — S. Lig. n. 243.

III. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare, quidquid promisit. — *Ita omnes.* — Utrum vero possit mutare votum suum in bonum aequale, *controvertitur*.

(36) Licet facultas dispensandi a iuramento aequiparari imo et associari soleat facultati dispensandi a voto; tamen, ut advertit S. Alphonsus (lib. 3. n. 259.), merum castitatis, Religionis, etc. iuramentum non est reservatum. Dixi, *merum iuramentum*, quod scilicet quis emitit ad confirmandum propositum, non autem ad confirmandum votum; quamquam etiam in posteriori hypothesi reservatum esset quidem votum, non tamen additum iuramentum.

(37) Id ipsum posse Confessarios quoque Mendicantes S. Alphonsus tradit utroque loco ab A. allegato, et quidem *tum intra tum extra confessionem* ut idem S. Alphonsus iuxta sententiam communem habet l. c. n. 257.

Communiter tamen convenient Doctores, id licere, si mutatio fiat in bonum certe aequale, aut probabiliter melius, licet ad cavendum hallucinationis periculum semper expediat, ut haec de consilio Confessarii fiant.

IV. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigit; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit aequalitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fere debet in allevationem eius fieri, qui sese voto obstrinxit. — S. Lig. ibid. etc.

335. Quaesita. — QUAER. 1<sup>o</sup> An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale, vel paulo minus commutandum?

Resp. 1<sup>o</sup> Affirm. quoad liceitatem, quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2<sup>o</sup> Probabiliter etiam affirm. quoad validitatem, quia delegatus sine causa commutans, limites suae potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam aequa probabilem dicit S. Lig. n. 245. Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minor requiritur ad commutandum in aequale, quam in minus: sufficit enim maior personae propensio, vel minus periculum votum transgreendi. — S. Lig. n. 244.

QUAER. 2<sup>o</sup> An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?

Resp. 1<sup>o</sup> Affirm., si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aequa gratum Deo, imo et gratius videtur. — Ita communiter.

Resp. 2<sup>o</sup> Affirm. probabilius, etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. — S. Lig. n. 248.

336. — QUAER. 3<sup>o</sup> An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?

Resp. 1<sup>o</sup> Neg., si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

Resp. 2<sup>o</sup> Affirm., si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per aequalem aut meliorem. — Ita communissime. — S. Lig. n. 249.

QUAER. 4<sup>o</sup> An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?

Resp. Neg. probabilius, quia materia illa, quae substituitur, non est per se reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. — S. Lig. n. 260., et alii. communiter. — V. Casus, n. 337. et seq.

Caeterum sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione Confessarii; praesertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emitendi votum perpetuae castitatis nonnisi difficultime et personis diu probatis atque maturis aetate concedere debet.

### DE III. DECALOGI PRAECEPTO

*Memento ui diem sabbati sanctifices. Exod. 20. 8.*

337. — Tertium Decalogi praeceptum naturale est, quatenus praecepit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem sabbati, caeremoniale est, et in lege nova abrogatum, siquidem pro die sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi substituit.

Praeter diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostrae beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi, non secus ac dies Dominica, sanctificantur.

Hoc praeceptum quatenus affirmativum est, quaedam opera praecepit, et quatenus negativum, quaedam alia prohibet (1); hinc caput duplex.

(1) Ad quaestionem, *an hoc praeceptum sit affirmativum, aut negativum* S. Alphonsus (lib. 3. n. 264.) post Salmantenses (Tr. 23. c. 1. n. 14.15.) respondet, *esse affirmativum, dum non obligat semper et ad semper*. Suar., Sanch., Pal., Leand., Fag. cum Salm., n. 15. contra Caiet. et Fill. etc. qui tuentur *esse negativum, cum in eo nihil positivum Iudeis praeципiebatur, sed hoc negatur*. Vid. Catech. Rom. n. 11.

Verum in hac doctrina tria satis inconcinnia Salmantenses obtrudunt. Primum est in ratione definiendi praeceptum *affirmativum, quia non obligat pro semper, seu (ut aiunt) quia multae dantur causae excusantes ab hoc pracepto*. Atqui etiam praecpta negativa causas excusantes admittunt, v. gr. praecptum abstinentiae.

Alterum est, quod ea permisceant, quae DD. disputabant de hoc pracepto prouti Iudeorum erat, et exinde doctores doctoribus opponant, qui facile conciliari possunt. Ita Suaresio opponunt Caetanum quando hunc Suaresius pro se allegat, et optime conciliat aiendo (*De Relig. Tr. 1. lib. 2. c. 1. n. 7.*): *Formaliter nihil ibi praecepitur, nisi dedicatio quaedam illius temporis ad cultum Dei, quae vocatur sanctificatio illius...* Haec autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quae pertinet ad exterrnum cultum per signum negativum declaratum.

Tertium est, quod doctoribus affirmantibus, hoc praeceptum, prouti Iudeis proponebatur, esse *negativum*, opponant Catechismus Romanus, ubi loquitur de Christifidelibus.